

que tractentur, ipsi multo studiosius servient, ipsique per omnia placere satagent; quin et ejus mores ac virtutes æmulabuntur.

Quocirca ex moribus servi solent æstimari mores heri, ut heri decus vel dedecus a servis pendeat. Audi S. Hieronymum ad *Demetriadem*: « Mores et studia dominarum plerumque ex ancillarum et comitantium moribus judicantur. » Et ad Principiam scribit, ex lascivia puellarum comitantium, de dominarum moribus judicari. S. Gregorius Nazianzenus, in carmine *Contra mulieres ornatas*, graviter asserit, « ancillas esse imagines cordis dominarum. » Sicut enim veris nuntii sunt hirundines, flos, fructus: ita et dominorum servi et ancillæ. Hinc illud proverbium apud Platonem, lib. VIII *De Republica*: « Dominas imitantes cattellæ; » et illud apud Ciceronem, lib. V *Ad Atticum*: « Qualis hera, tales et ancillæ; » Terentii in *Eunucho*: « Domini similis es. » Causa est duplex: prior, quod famulos similes nobis adseiscamus: similis enim similem sibi quærit; posterior, quod servi soleant se accommodare moribus heri, eosque imbibere et induere. In ejus enim qui sibi præsidet, « veluti unici exempli, mores, ii qui subsunt, se formant, » ait Livius, lib. I, *Decade 1*. Unde Euripides apud Stobæum, *serm.* 60: « Servi, inquit, dominorum morbis inficiuntur. » Et Alexis apud eundem:

Cæterum ergo vulgus servos similes
Habere videbis mores dominis.

Et Baptista Mantuanus egregie ad Fulconem:

Cur tibi sint dociles servi sine crimine, Fulco?
A simili mores accipiuntur hero.

Denique « servus sensatus » et fidus « sit tibi dilectus quasi anima tua, » quia ipse pro te animam ponit in laboribus, et ponet in sanguine, si opus sit. Sic plures servi pro heris ultro se morti obtulerunt. Mero, servus Antonii, postulatus hero necem afferre, in se pugionem strinxit, et seipsum pro hero interemit, teste Plutarcho in *Antonio*. Post cladem Cannensem Romani undecim millia servorum armarunt, qui heris libertatem, Romæ imperium restituerunt, teste Valerio Maximo, lib. VII, cap. VI. Plura recenset Seneca lib. III *De Benefic.* cap. XXIII et seqq. Onesimus, servus Philemonis, conversus a S. Paulo, ab eodem Philemoni quasi cor et viscera commendatur, ut patet ex Epistola ad Philemonem. Unde Onesimus Ephesiorum tandem evasit Episcopus, ac gloriosum obiit martyrrium.

Mystice, servus sensatus est corpus justi; hoc enim corpus sensatum est, quod rationi subest, quod virtuti paret, quod nullo modo divino amori moventi renititur: cui propterea libertas a viliorum labe, et studiosorum operum opes debentur. Tale igitur corpus licet aut mendicitate prematur, aut doloribus affligatur, aut imbecillitate molestetur, felicitatem hujus vitæ non impedit, sed promovet; siquidem perfectæ virtutis instrumen-

tum est. Perfectio quoque divitiarum virtutum comparat, præsertim quia ejus animum a desiderio rerum terrenarum abducit, ut rebus ad usum vitæ necessariis (quæ paucissimæ sunt) contentus, reliqua nec quærat, nec concupiscat. Dives autem est qui nihil appetit, qui suis contentus jucunde vivit.

24. PECORA TIBI SUNT? ATTENDE ILLIS. — Græce ἐπιαιέντου ἀδρά, id est inspicere, intende, visita, cura illa; non credas ea per omnia servis: sed tu ipse ea quandoque visita, an debite a famulis tractentur et alantur. « Oculis enim Domini saginat equum; et si sunt utilia, perseverent apud te. » Sin inutilia sunt, divende, abdica, vel in cibum usumque familiæ occide et macta. Syrus: *Jumentum est tibi? experire illud; et si verum (id est integrum et undequaque perfectum) est, posside illud.* A cura servorum descendit ad curam pecorum, quæ pariter hero serviunt; unde jumenta vocantur a juvando.

Porro tribus de causis eorum curam commendat: prima est, quia heri est curare non tantum se, sed et totam familiam, ad quam pertinent pecora. Rursum benignitas et beneficentia heri non tantum ad homines, sed et pecora extendat oportet; sicut enim vitium sævitiae est nimio labore obruere jumenta, aut negare eis cibum debitum: sic pariter virtus clementiæ est benignum esse in pecora, eisque de pabulo, adaequatione cæterisque commodis stans horis providere, juxta illud *Proverb.* XII, 10: « Novit (Septuaginta miseratur) justus jumentorum suorum animas; viscera autem impiorum crudelia. » In quæ verba S. Chrysostomus, homil. 29 in epist. ad Romanos: « Sunt enim, inquit, Sanctorum animæ vehementer mites, et hominum amantes, non solum erga suos, sed etiam alienos; ita ut hanc suam mansuetudinem etiam ad animantia bruta extendant. Idcirco Sapiens dixit: Justus miseretur animarum jumentorum suorum; si ergo jumentorum, multo magis hominum. »

Secunda, quia herus curando pecora curat seipsum, puta res suas, quibus se et familiam alit: quare stolidi et sibi ipsis iniqui sunt heri sævi, qui sua avaritia aut sævitia suos equos, boves, asinos ita onerant, ut succumbant; ita verberant, ut lacerent; ita parce alunt, ut viribus deficient: hi enim privant se ingenti commodo, quod ex eis perciperent, si rite eos tractarent.

Tertia, quia inhumanitas et sævitia in pecora signum et principium est sævitiae in homines. Quocirca ex historiis liquet eas, qui crudeles fuere in homines, sævos quoque fuisse in bestias. Ita Nero crudelis delectabatur laniena et carnificina animalium, adeoque ipse sua manu sepe ea jugulabat, hæcque erat ejus recreatio et voluptas. Domitianus crudelis horas plures per diem vacabat captioni et mactationi muscarum; stylo enim aureo eas configebat, ut nullam vivam relinqueret; unde proverbium: « Ne musca qui-

dem. » Quocirca Oppianus, libro II *De Venatione*, venationes nimias regibus vetat, causamque dat: « Ne cæde animalium delectati, hominum quoque interneciones cogitent. » Xenophon quoque docet Cyrum se et Persas per venationem et mactationem animalium assuefecisse bello et jugulationi hominum. Hac de causa Deus Judæis jussit humanitatem in bestias, v. g. ne ararent in bove et asino, quia asinus impar est bovi, et plus æquo in eodem cum bove jugo gravatur; ne, auferendo nidus avium, caperent matrem simul cum pullis; ne alligarent os bovi trituranti: ut die septimo, puta sabbato, sinerent quiescere jumenta omnia. « Quo facilius, inquit Tertullianus, lib. II *Contra Marcionem*, cap. XVII, in pecudibus et bestiis præmeditata humanitas, in hominum refrigeria erudiretur, ut scilicet Judæi duri discerent esse humani in homines, qui a Deo humani cogebantur esse in bestias.

Tropologice, pecora sunt homines rudes et hebetes, q. d. Si habes homines parvi cerebri et mentis tibi commissos, compatere hebetudini et fragilitati eorum; nec tædeat te eos erudire et formare in doctrina et vita Christiana, etiamsi parum videaris proficere, memor istius:

Gutta cavat lapidem, non vi, sed sæpe cadendo;
Sic homo fit doctus, non vi, sed sæpe studendo.

Sic legimus S. Isidorum Archiepiscopum Hispanensem, cum puer esset, adeo hebeti fuisse ingenio, ut nihil caperet; quare de relinquendis studiis cogitans, cum mcestus juxta puteum consisteret, intuitus sulcos, quos in lapide duro crebri sularum attractus effecerant, sic secum ratiocinatus est: Si iteratio et frequentia trahendi potest excavare lapides, utique frequentia studendi poterit polire meum ingenium, esto hebes et durum. Quare, resumpto animo, constanter studiis vacans, vir adeo doctus evasit, ut eo doctiorem illo ævo non viderit Hispania; quin et ei debeat gymnasia, academias, virosque doctos, utpote qui ejus fuere discipuli, vel asseclæ et æmuli. Ita habet ejus Vita. Id notent et imitentur qui catechizant et docent rusticos, Indos, Caphres, mancipia, quibus natura dimidium mentis duntaxat dedisse videtur, ait Aristoteles.

Symbolice, pecora sunt animales hominis appetitus, sensus et sensationes; in his enim convenimus cum pecoribus, sumusque animalia, et vivimus animaliter. His invigilandum est, ut sint utilia, et subserviant rationi ac menti, quasi suo hero et domino: cui si reluctantur et rebellent, abdicanda sunt, et mortificanda juxta illud: « Si secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis, » Rom. VIII, 13.

25. FILII TIBI SUNT? ERUDI (Græce παιδεύσον, id est instrue, castiga, forma) ILLOS, ET CURVA (doma) ILLOS A PUERITIA ILLORUM. — Syrus: *Filios habes? Si pueri corripes illos, et accipies illis uxores in ado-*

lescentia eorum, ne discurrant ad scorta. Vox erudi spectat proprie ad intellectum, vox curva ad affectum; uterque enim dirigendus et formandus est in pueris et juvenibus, ne vel rudes et indociles maneant, vel inflexiles et indomiti: pueris enim congenita est in intellectu ignorantia, hæc tollenda est eruditione; in affectu superbia et concupiscentia, hæc curvanda et castiganda sunt mortificatione, juxta illud *Prov.* XIII, vers. 24: « Qui parcat virgæ, odit filium suum; qui autem diligit illum, instanter erudit. » Curva ergo eorum cervicem, ut discant se humiliare et obedire, ut discant frangere suos appetitus et concupiscentias, ut fugiant illecebras et mollitiem.

Vere Fabius, lib. I *Instit.* cap. III: « Mollis, ait, educatio mentis corporisque vires frangit. » Et Plutarchus, lib. *De Liberis educandis*: « Vidi, ait, patres, quibus amor nimius causa exstitit, ne amarent. » Hi imitantur simias, quæ factus ita arte complectuntur, ut subinde eos enecent, teste Plinio, lib. VIII, cap. LIV. Aspera fuit illa filiorum educatio, de qua Virgilius *Aeneid.* IX:

Natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus et undis.

Plura hac de re vide apud Plutarchum in *Lycurgo*; Senecam, lib. II *De Ira*, cap. XXII; Alexandrum ab Alexandro, lib. II *Genial.* cap. XXV. Prudentius S. Chrysostomus, hom. 9 in *I ad Timoth.*, parentes monet, « ut nihil agere filiis permittant, ex iis quæ noxie jucunda sunt. » Nam, ut recte monet Clemens, lib. I *De Pædag.* cap. VII: « Silvescit vitæ, nisi putetur; ita et homo. »

Vie et sapienter S. Hieronymus, epist. 7 ad *Lætam*, docet particulatim quomodo Paulam filiulam instituat: « Postquam, inquit, ablactaveris eam cum Isaac, et vestieris cum Samuele, redde pretiosissimam gemmam cubiculo Mariæ, et cunis Jesu vagientis impone. Nutriatur in monasterio, sit inter virginum choros; jurare non discat; mentiri sacrilegium putet; nesciat sæculum; vivat angelice; sit in carne, sine carne; omne hominum genus sibi simile putet. » Similia suadet S. Chrysostomus, homil. 21 in epist. ad *Ephes.*: « Peperisti, inquit, puerum? imitare Annam. Disce quid fecerit illa: mox illum subduxit, atque obtulit in templo. Quis vestrum non innumeris modis mallet filium suum fieri Samuelem, quam totius orbis regem? »

26. FILIÆ TIBI SUNT? SERVA CORPUS ILLARUM, — integrum, intactum, castum et purum. In eo enim omnis filiæ decor et dignitas consistit, præsertim quia ejus sexus et ætas fragilis est, et in vitium pronus, multique ei insidiantur. Id facies, si eam domi contineas, si a juvenibus, a convivis, a tripudiis, a spectaculis parum honestis eam arceas: sic enim vitium passa est Dina, quod curiose spectavit Sichimitas, *Genes.* XXXIV. Si semper te vel matrem ducem comitemque habeat, si ancillæ et servi sint pudici, si nullum sermonem

impudicum audiat: nam corrumpunt bonos mores colloquia prava; si denique verecundiæ et pudicitiae amor, ac impudicitiae horror continuo ei inseratur. Quæ sane inter omnia efficacissima est castitatis medicina et custodia. Audi Ovidium, lib. III, *Elegia* 4:

Dure vir, imposito teneræ custode puellæ,
Nil agis: ingenio quæque tuenda suo est.
Ut jam servaris bene corpus, adultera mens est;
Nec custodiri, ni velit, ulla potest.
Nec mentem servare potes, licet omnia claudas:
Omnibus exclusis intus adulter erit.

Et paulo post:

Centum fronte oculos, centum cervice gerebat
Argus: et hos omnes sæpe fefellit amor.

ET NON OSTENDAS HILAREM FACIEM TUAM AD ILLAS, — tum ut severitate vultus reprimas et coercas illarum lasciviam, levitatem, libertatem, audaciam; tum ut eadem illis pudorem et metum tui injicias, ne te offendere audeant; tum ne patris erga se blanditiis discant viris affici, et erga eos liberiores et inverecundiores fieri, ait Jansenius. Nam, ut ait Salomon: «Melior est ira risu, quia per tristitiam vultus corrigitur animus delinquentis,» *Ecclesiastæ* VII, 4. In quæ verba S. Gregorius Thaumaturgus: «Prudens ira, inquit, risui præferenda est: severa enim vultus habitudine anima ad rectum honestumque componitur; ac sapientum quidem animæ tristitia contrahuntur, stultorum autem animæ lætitia elatæ diffunduntur.» Et Isidorus Campensis: «Per tristitiam, ait, quæ in vultu apparet, cor admonetur officii sui,» præsertim cor feminæ, quod magis timore, quam amore in officio continetur. Satis est filiabus amor et familiaritas matrum: non igitur requirant etiam patrum indulgentiorem affectum. Credant ex patris severiore vultu viros esse severos, ne illorum amore facile capiantur. S. Bernardus, lib. IV *De Consid.* cap. VI: «Filiæ tibi sunt? noli faciem tuam hilarem ad eas ostendere. Nec austeritatem tamen suadeo tibi, sed gravitatem. Illa infirmiores fugat, hæc reprimit leviores. Illa si adsit, odibilem; hæc si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec severius velim, nec dissolutius. Quid hæc mediocritate gratius, ut non de severitate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? etc. Ille convenientior habitus, si tu actu quidem severus sis, vultu serenus, verbo serius.» Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.* cap. IX, citans hæc verba, *Et ne ostendas hilarem faciem ad illas*: «Qui, ait, ad gratiam loquuntur, parum diligunt; qui autem ad utilitatem acerbi sunt, in futurum sæculum beneficio afficiunt: non præsentem voluntatem Dominus, sed futuram spectavit delectationem.»

Hæc sapientis monitum servavit Sponsa, quæ, cum formosa esset, nigram se tamen sodalibus ostendit, *Cant.* I, 5. Quæ verba explicans S. Ber-

nardus, serm. 28 *in Cant.*: «Ut, inquit, remissis, mollibus, et fugitantibus disciplinam, non candorem serenitatis, sed obscurum severitatis exhibeat.» Suum, scilicet, imitata est sponsum, de quo David *Psal.* CXVII: «Castigans castigavit me Dominus, et morti non tradidit me.» In quæ verba Clemens Alexandrinus, lib. I *Pædagog.* cap. VII: «A Domino, ait, castigari, et tanquam a pædagogo erudiri, est a morte liberari.» Leæna, teste Philostrato lib. VII, ut cicuretur, non nimis blande delinienda est, alioqui insolescit et ferocit; sic et mulier, præsertim filia, quam Cato vocabat animal indomitum. Margaritæ in conchis concreseunt, non sudo, sed turbato cœlo, ut docet Dioscorides et Physici; si ergo filiam vis margaritam, id est, puram et virginem, severum ei vultum ostende, juxta illud *Job.* XXIX, 24: «Si quando ridebam ad eos, non credebant.» Crocus, ait Plinius lib. XXI, cap. VI, gaudet calcari et atteri pede, pereundoque melius provenit.» Sic et crocea filiarum integritas. Huc facit illud S. Gregorius lib. XX *Moral.* cap. II: «Qui præest, debet et arridens timeri, et iratus amari; ut eum nec nimia lætitia vilem reddat, nec immoderata severitas odiosum.»

Tropologice, vel symbolice, filiæ Dei sunt animæ sanctæ; harum Deus corpus, id est, integritatem virtutum omnium, servat, ideoque non hilarem, sed severum eis vultum ostendit, dum eas variis tribulationibus affligit. Unde S. Gregorius, lib. X *Moral.* cap. XVII, iis applicat illud *Job* cap. XII, *Lampas contempta apud cogitationes divitum*: «Justi, inquit, simplicitas et lampas esse dicitur et contempta. Lampas, quia interius lucet; et contempta, quia exterius non lucet. Intus ardet flamma charitatis, foris nulla gloria resplendet decoris. Lucet ergo et despicitur, qui flagrans virtutibus abjectus æstimatur.» Deinde ostendit talem lampadem fuisse Christum et Paulum, ac subdit: «Sed contempta lampas, quæ in terra irrisiones tolerat, de cœlo lucidius per judicium coruscet. Unde apte subjungitur: Parata ad tempus statutum.»

27. TRADE FILIAM (nuptui sive marito, cum ad nubiles annos pervenerit, idque tempestive, antequam ejus decor, fecunditas et vigor deflorescat), ET GRANDE OPUS FECERIS. — Tigurina: *Eloca filiam, et magnum opus peregeris.* Grande, quia difficile, æque ac perutile, tum tibi, tum filiæ, tum reipublicæ. Tibi, quia ingenti ejus cura, ac procorum molestiis et periculis te liberat et exonerat: unde Syrus vertit: *Exire fac filiam, et egredietur violentia*; filiæ, quia ejus pudicitiae consulis, eamque collocas in statu honesto per omnem vitam; reipublicæ, quia ejus conjugium dabit proles, quæ numero, officiis et meritis augeant rempublicam. Hoc consilium congruit ævo Siracidis, quo cælibatus non erat in usu, imo erat dedecori. A. Christus divinius consilium dedit, dum suavitatem et cælibatum. Audi Apostolum,

Corinth. VII, 8: «Dico non nuptis et viduis: Bonum est illis, si sic permaneant, sicut et ego.» Causam dat vers. 34: «Mulier innupta et virgo cogitat quæ Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro.» Ideo erecta sunt tot virginum monasteria, quibus clausura a Canonibus et Concilio Tridentino severe indicta est. Nam *feminæ aut maris, aut maritus.* Trade ergo filiam viro, nisi illa meliori viro, scilicet Christo, jungi velit in monachatu.

Siracidi consentit Ben-Sira *Alphabeta* 4, *littera Mem*: «Aquæ mulieris, quæ virgo juvenis est, dulces sunt, et augent vires (alludit ad illud *Proverb.* V, vers. 15: Bibe aquam de cisterna tua, id est, fructu uxore tua); sed aquæ mulieris vetulæ amare sunt ut absinthium, et debilitant vires, ut cisterna quæ aquas habuit, quas ventus hauriendo absorpsit,» *q. d.* Vetula effœta est, exhausta, infecunda et sterilis, ideoque ingrata et insipida. Quocirca S. Ignatius citatus ab Antonio in *Melissa*, lib. I, cap. XIV: «Junioribus, ait, contrahendæ sunt nuptiæ, antequam meretriciis amoribus implicentur.» Quin et Plutarchus in *Laonicis* refert Lycurgum certum tempus præscripsisse, quo puellæ nubere, juvenes ducere deberent. Rogatum cur? respondisse: «Ut soboles ex adultis, perfectæque ætatis parentibus nata, valida sit et vegeta.» Ex præpropero enim conjugio læduntur corpora gignentium, ac proles nascitur imbecillis. Denique junioribus parentibus deest apud liberos auctoritas, quam ætas conciliat.

ET HOMINI SENSATO (Græce *συνετός*, id est prudenti, intelligenti; Syrus, *sapienti*; Tigurina, *cordato*) DA ILLAM. — Græce, *δώρατι*, id est *dona*, hoc est da, trade etiam sine dote. Scitum est illud Themistoclis filiam viro tenuis fortunæ, sed sapienti elocantis: «Malo virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.» Multorum hæc in re gravis est error, qui, dum filiabus maritos quærunt, quærunt opulentos et nobiles, nec multum curant an prudentes et sapientes sint, an insipientes; unde multa infausta et lugubria filiarum cum maritis conjugia intuemur. Democritus dicebat, «qui bonum generum nactus sit, invenisse filium; qui vero malum, simul et filiam perdidisse,» teste Stobæo *serm.* 68. Sapientissimi et felicissimi sunt, qui filiabus maritos procurant sapientes, æque ac opulentos et nobiles; uti Noemi nurui suæ Ruth procuravit maritum Booz, opibus æque ac prudentia et probitate insignem.

Porro leges civiles et canonicæ feminam nubilem, et matrimonio maturam definiunt anno ætatis duodecimo, virum vero anno decimo quarto; at non suadent, eo exacto, statim contrahi matrimonium. Illud tantum scriptum reliquerunt, filiam posse inconsulto patre conjugium contrahere, si pater ejus nuptias distulerit

usque ad annum 23, quasi senserint feminam intra illud tempus esse nuptui tradendam. Hesiodus, lib. II *De Oper. et dieb.*, viro annum trigesimum, feminæ decimum quintum ad matrimonium constituit. Solon, apud Philonem lib. II *De Opificio mundi*, quintum septenarium, id est, annum 35 nuptiis assignavit. Plato, lib. VI *De Republ.*: «Nuptiarum, ait, tempus sit puellæ ab anno decimo sexto in vigesimum, idque sit longissimum tempus ad hoc institutum, masculo a trigesimo ad trigesimum quintum. Vide Aristotelem lib. VII *Polit.* cap. XVI, ubi teminas nuptui tradendas censet anno ætatis 18, masculos 36, quia mas gignere potest usque ad annum 70, femina ad 50. Vide et Tiraquellum *Lege* 6 *connubiali*.

28. MULIER (Græce *γυνή*, id est, uxor,) SI EST TIBI SECUNDUM ANIMAM TUAM (talit, scilicet, qualem anima tua desiderat, quæ nimirum sit facilis et commodis moribus, quæque tuis votis æque ac ingenio et affectibus congruat), NON PROICIAS ILLAM (ne des ei libellum repudiî in lege veteri permissum et licitum), ET ODIBILI (ob pervicaciam, garrulitatem et morum improbitatem) NON CREDAS TE. — Græce, *μη ἐκδοῖς αὐτὴν*, id est, ne tradas vel dedas *teipsum*, scilicet, in maritum, ait Jansenius. Verum jam præsupponitur esse uxor, quam proinde non suadet statim abjici, sed ut maritus ei se suaque secreta non credat. Maritus enim tradit vel dedit se uxori, cum totum se ei fidit et committit, cumque omnia sua in ejus sinum effundit, uti Samson se effudit in sinum Dalilæ, ideoque ab ea proditus, a Philistæis captus est et exoculatus. Et Amphiarus, Eriphilæ uxori revelans suas latebras, ab ea pretio aurei monilis venditus et proditus est, teste Statio Hygino cap. LXXIII. Unde Donsysius pro *non credas te*, legit, «non reveles tua occulta;» mulier enim tacere et secreta servare nequit. Unde Cleobulus: «Cum uxore, inquit, ne contende, neve ei nimium confide.» Et Cato trium se penitere dicebat; tertium erat, quod unquam secretum credidisset mulieri. Hoc est, quod ait Michæas, cap. VII, vers. 3: «Ab ea quæ dormit in sinu tuo, claude ostia oris tui.» Hinc vertit Syrus: *Uxorem habes, ne dimittas eam; et si iniqua est, ne credas ei*; Vatablus: *Uxorem eæ sententia nactus es, ne repudies; nec te permittas odiosæ.*

Redit Siracides ad vers. 21: «Noli discedere a muliere sensata et bona,» illudque quasi magni in familia ad pacem, concordiam et virtutem momenti commendat et inculcat. Palacius per mulierem accipit uxorem; per odibilem, concubinam, *q. d.* Noli abjicere uxorem, et adherere concubinæ, eique te credere, quia hæc odibilis est, tum quia est causa odii et litium inter maritum et uxorem; tum quia eam mox oditurus es, cum videbis ab ea opes tuas exhauriri: olim enim polygamia erat licita, et concubina vocabatur secundaria uxor, qualis Abrahæ fuit Agar, Jacobo

Bala et Zelpha. Verum nil cogit *odibilem* restringere ad concubinam. Cuilibet enim uxori, si odibilis sit, suadet non esse credendum.

Nota \rightarrow *secundum animam*. Illo enim significat deligendam cuique esse uxorem, quæ gratis sit moribus, quæque cum marito habeat sympathiam, et moribus congruat. Tædiosa enim est vita mariti, si cum uxore indolis et complexionis sibi contrariæ jugiter versari debeat, v. g. \rightarrow maritus complexionis sanguinæ et jovialis, perpetuo agere lebeat cum uxore tristi, tetrica, melancholica. Rursum vulgatum est illud Pitæaci apud Laertium, lib. I, cap. v: «Uxorem tibi æqualem ducito.» Rationem dat Cleobulus apud Stobæum, serm. 3 *De Temperentia*: «Si enim ex superiore familia duxeris, inquit, non affines tibi, sed dominos comparabis.» Chilon apud Stobæum, serm. 38, dixit filias elocandas esse ætate virgines, sed prudentia matronas. » Idem censuit uxorem humilem modico apparatu ducendam, ne pro conjugæ dominam accersas domum; sat enim dotata venit puella, quæ pudiciam et honestos mores secum defert. Idcirco Lacones sanxerunt ut virgines sine dote nuptum irent, teste Laertio lib. I, cap. iv, ut juvenum quisque ad puellæ mores respiciens, ex virtute et indole sibi congruente faceret electionem.

29. IN TOTO CORDE TUO HONORA PATREM TUUM, ET GEMITUS MATRIS TUÆ (quos in te concipiendo, utero gestando, lactando, fasciando, etc., toleravit) NE OBLIVISCARIS. — Ita hæc nectunt Latina, Romana, Græca et Syrus; quare perperam Jansenius et alii \rightarrow *in toto corde* annectant versui præcedenti. Jubet ergo filio: «In,» id est *ea*, «toto corde honora,» Græce \rightarrow *ὅλην τὴν καρδίαν*, id est, *glorifica*, «patrem tuum;» Tigurina: *Patrem tuum animo toto magnifica, nec dolorum matris obliviscaris*. Hoc ipsum Tobias moriens filium docuit, dicens cap. iv: «Honorem habebis matri tuæ omnibus diebus vitæ tuæ. Memor enim esse debes quæ et quanta pericula passa sit propter te in utero suo.» Porro gemitus matris majores sunt, quibus illa gemit pro filio sceleribus perditio, ut in viam virtutis et gratiæ divinæ redeat, quales fuere gemitus S. Monicæ pro S. Augustino, quos ipse recenset in lib. *Confess.*

30. MEMENTO QUONIAM NISI PER ILLOS NATUS NON FUISSES, ET RETRIBUE ILLIS, QUOMODO ET ILLI TIBI. — Nonnulli codices *velent* \rightarrow *natus*, leguntque significantius, *nisi per eos non fuisses, q. d.* Sine parentibus non fuisses in rerum natura, fuisses non ens, fuisses nihil; totum enim quod es, a parentibus habes. Græca paulo aliter habent: *Memento quod per eos natus sis; et quid retribuas eis sicut illi tibi? q. d.* Non potes eis par pari reddere. «Diis enim, parentibus et præceptoribus æquivalens reddi nequit.» Nostra Latina versio est nervosior, cui consentit Syrus: *Memento quia nisi ipsi tu non esses; et quis retribuet tuis qui te educaverunt?* Licet enim parentes proprie tantum dent

corpus filio, anima vero creetur a solo Deo, tamen, quia corpus taliter a parentibus organizatum talem poseit animam, ideoque Deus eam creat, et creando infundit corpori, hinc parentes corporis censentur quoque esse parentes animæ, saltem mediate, puta mediante corpore; vocantur enim parentes totius compositi, puta hujus hominis, qui conflatur ex anima et corpore.

Videtur Ecclesiasticus hoc loco sequi opinionem illorum Philosophorum et Theologorum, qui censent individuum, puta prolem hanc, determinari a causis secundis, v. g. cur nascatur hæc proles, non alia, causam esse parentes, qui hoc loco et tempore generantes determinant generationem ad hunc genitum naturaliter; nam supernaturaliter Deus potest facere ut idem filius ex alio nascatur. Hanc sententiam videtur sequi S. Thomas, qui censet individuationis causam esse materiam signatam, sive affectam hisce circumstantiis et accidentibus. Eandem tenet Gabriel Vasquez III part., *Quæst. XIX*, disp. 74, art. 4, cap. vii, eamque probat tribus argumentis *primo*, quia Deus est causa universalis et indeterminata, quæ determinatur ad hanc vel illam speciem (multo magis ad hoc, vel illud individuum) a causis secundis; *secundo*, quia actus liberi determinatur a voluntate libera, non a Deo: alioqui si a Deo essent prædeterminati, non essent liberi; *tertio*, quia nisi effectus determinaretur a causa secunda, posset idem numero reproduci naturaliter: si enim illa in se est indeterminata, æque ac effectus ejus, non apparet ratio cur non possit eundem reproducere; unde sequeretur resurrectionem corporum esse naturalem, cum constet eam esse supernaturalem.

Favet S. Chrysostomus, homil. 5 *de Pœnit.*, ubi quærit cur Deus Esau, quem odio habebat, non illico e medio sustulerit; ac respondet causam fuisse, ut ex eo nasceretur Job, qui alioqui natus non fuisset: «Si excisus fuisset, inquit, maximum fortasse justitiæ fructum mundus amisisset. Et qualem? audi. Esau genuit Raguelem, Raguelem Saram, Sara Job. Cerne qualis elanguisset patientiæ flos, si præveniens Deus a radice pœnas exegisset.» Idem liquet de multis Sanctis, quorum nativitate parentes suis precibus et meritis impetrarunt. Denique non decrevit Deus nasci hos vel illos filios, nisi quia prævidit parentes eos tali die vel hora generaturos. Effectus enim non prævidetur, nisi ex prævisa causa. Excipio Christum, B. Virginem, et forte Sanctos aliquos eximios; Christus enim ante cæteros homines a Deo decretus et prædestinatus est, quasi caput et redemptor omnium; sed B. Virgo sua sanctitate meruit ut ex se potius quam ex alia femina nasceretur, uti docent Theologi.

Contrarium docet P. Suarez III parte, disp. 10, sect. v, et clarius in *Metaphys.* tom. I, disp. 26, et sect. v, num. 27, P. Salazar, tractat. *De Concept.* cap. xxiv, num. 24 30 et sequent. Censent enim

determinationem effectus, v. g. prolis, quoad individuum a Deo fieri, ita ut quilibet singularis effectus, qui ab una singulari causa producitur, possit etiam ab alio produci; ac proinde proles, quæ gignitur ab hoc patre, possit ab alio quoque generari; hæc a Deo determinari, ut hic in individuo ab hisce parentibus producat, non alius, nec ex aliis; quocirca Deum, primo decrevisse ut tales totque homines in individuo existerent in mundo; deinde decrevisse ut iidem ex talibus parentibus tali tempore nascerentur.

Juxta hanc sententiam, quæ sane difficultates magnas habet, hic locus Ecclesiastici sic exponendus est: «Memento quoniam nisi per eos natus non fuisses,» quia, scilicet, Deus ultimo prædeterminavit ut ex iis solis nascereris, non ex aliis: posito autem hoc ultimo Dei decreto, impossibile fuit te ex aliis nasci, quia non potes nasci, nisi uti Deus voluit et decrevit. Imo P. Fonseca, lib. V *Metaphys.* cap. ii, Quæst. XIV, sect. iii, eodem redire asserit, dicere hunc effectum esse hunc numero potius quam illum, quia productus est ab hoc numero agente, et ex hac numero materia, et in hoc numero vel momento temporis, ac si quis dicat, quia divina voluntas ad hunc numero effectum naturalem in hoc numero ac tempore, naturales ejus causas determinavit.

Porro Scotus in II, dist. 20, *Quæst. II*, opinatur in statu innocentie (si in eo perstitisset Adam) eodem numero futuros fuisse homines, qui nunc prædestinati sunt, et non plures, nec pauciores (nulli enim tunc fuissent reprobi), ideoque prædestinatos, qui nunc nascuntur ex reprobis, tunc nascituros fuisse ex prædestinatis. Ratio ejus est: Quia, inquit, prædestinatio facta est ante prævisum peccatum originale, et ante prævisas generationes omnium futurorum hominum; quod etiam docet Suarez lib. I *De Prædestinat.* cap. xii. Favet S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. xxvi, vel xxvii, cum ait: «Si parentem primum nulla peccati putredo corrumpere, nequaquam ex se filios gehennæ generaret; sed hi, qui nunc per redemptionem salvandi sunt, soli ab illo electi nascerentur.» Sed exponi posset S. Gregorius de electione in genere, non in individuo, q. d. Si Adam perstitisset, soli electi ex eo nascerentur; sed illi tunc fuissent electi per solam Dei electionem, cum nunc omnes electi sint per redemptionem Christi.

Verum; quidquid sit de mente S. Gregorii, communiter alii Theologi docent cum S. Augustino, electionem factam esse post prævisum peccatum originale, quia facta est ex meritis Christi, quæ hoc peccatum præsupponunt. Unde passim S. Augustinus docet electionem Sanctorum esse factam ex massa peccato originali infecta et corrupta. Rursum prædestinatio præsupponit subiectum, puta hominem, prædestinatum jam esse in rerum natura, vel esse futurum. Qui enim non

est homo, nequit prædestinari ad humanam gratiam et gloriam. Denique parum probabile videtur, quod addit Scotus, ut suam sententiam jam recensitam tueatur, scilicet nonnullos, qui nunc nascuntur in sexu feminino, in statu innocentie nascituros fuisse in statu virili, vel e contra; præsupponit enim nunc viros et feminas nasci numero impari, in statu autem innocentie nascituros fuisse numero pari, ut quilibet vir suam haberet uxorem, et quælibet uxor suum virum.

Moraliter, hic disce quam parentes, et maxime Deum patrem omnium, amare et revereri debeamus. Unde Diogenes ad quemdam qui patrem spernebat: «Non te pudet, inquit, eum despicere, cui debes hoc ipsum quod tibi places?» ita Laertius lib. VI. Et Plato ad similem: «Non desines, ait, illum contemnere, ejus gratia altum sapere vis?» ita Maximus serm. 33. De Deo vero Moses ait Israeli: «Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et fecit, et creavit te?» *Deut. xxxii*, vers. 6.

31. IN TOTA ANIMA TUA TIME (Græce \rightarrow *ἐλλεβου*, id est reverere, venerare, cole) DOMINUM, ET SACERDOTES ILLIUS SANCTIFICA. — Græce \rightarrow *σέβαστε*, id est, suspice et admirare. Syrus: *In toto corde tuo time Deum, et sacerdotes ejus honora*. Timor Dei in Scriptura idem est quod cultus, reverentia et veneratio Dei; Deum enim ex tota anima venerari, colere et amare debemus. Ratio est, quia Deus est anima animæ. Sicut ergo corpus totum est animæ, ita anima tota debet esse Dei. Anima, ait Aristoteles lib. II *De Anima*, est causa corporis viventis in triplici genere causæ, scilicet formalis, efficientis et finalis; itidem est et Deus ipsi animæ. Rursum Deus est anima, id est vita, animæ, non tantum naturalis per creationem, sed et supernaturalis per gratiam. «Quia, inquit S. Augustinus tract. 10 *in Joannem*, vita ejus (animæ) est Deus, quomodo cum ipsa est in corpore, præstat illi vigorem, decorem, mobilitatem, officia membrorum: sic cum vita ejus Deus in ipsa est, præstat illi sapientiam, justitiam, charitatem.» Idem, lib. *De Cognitione veræ vitæ* cap. xxxi: «Deus est vita animæ, sicut ipsa est vita corporis. Sed sicut mortuum est corpus, quando animam non habet: ita anima mortua est, quando Deo caret.» Adde quod anima, et quælibet res creata, magis pendet et sustentatur a Deo, quam a seipsa. Deus enim continuo suo influxu ei dat suum esse, itaque jugiter quasi eam creat; quod si Deus suum influxum subtraheret, illico in suum nihilum, ex quo a Deo creata est, recideret. Quare anima tota magis debet amare Deum, quam seipsam, quia Deus majus est ejus bonum quam illa sit sibi ipsi.

Insuper anima est species specierum, sive forma formarum, ait Aristoteles lib. III *De Anima*, tum quia anima formarum omnium est nobilissima; tum quia ipsa recipit omnes omnium intelligibilia et cognoscibilia species. Anima

ergo quasi præstantissima debetur Deo præstantissimæ, imo quaquaversum immenso, omniumque intelligibilium summo, universalissimo et perfectissimo principi. Quare vere ait Beda in *Proverbiis*:

Totus ubique manens, tota est virtute colendus.

Porro quod addit: « Sacerdotes illius sanctifica, » hoc est, sancte eos habe, ut sanctos, id est, Deo consecratos, honora, juva, sustenta; græce, *admirare, q. d.* Tanta est sacerdotum et sacerdotum excellentia, consecratio et sanctitas, ut omnes eam admirari, et admirando venerari ac revereri debeant. Hinc discant sacerdotes dignam sacerdotio vitam agere, ut sint homines cælestes, Angeli Dei, terræ miracula: « Vivant ut numina, loquantur ut oracula; » ut sermone æque ac vita sint admirabiles, sui que admirationem in laicis excitent. Rationem dat S. Ignatius, epist. 10 ad *Smyrnenses*: « Sacerdotium, ait, est omnium bonorum, quæ in mundo sunt, apex; qui adversus illud fecerit, non hominem ignominia afficit, sed Deum. » Et S. Gregorius Nazianzenus, *oratione 21*: « Sacerdos, inquit, cum Angelorum ordine et classe futurus est, qui cum Archangelis Deum celebrabit, qui ad sacrum altare sacrificia transmittet, simulque cum Christo sacerdotio fungetur; qui figmentum instaurabit, imaginemque Creatori sistet, et superno mundo opificem agat; et quod majus est, dicam, Deus erit, aliosque deos efficiet. »

Quocirca Christus sacerdotes etiam Mosaicos honoravit, dum leprosos a se curatos ad eos transmisit, dicens: « Ite, ostendite vos sacerdotibus. » A regibus autem honorari voluit, quando tres Magos, duce stella, vocavit ad se adorandum in Bethlehem, ut ostenderet sacerdotium præstantius esse regno. Nam « purpura imperatores facit, non sacerdotes, » ait S. Ambrosius apud Theodoretum lib. V *Histor.* cap. VII; et Philo, lib. III *De Vita Mosi*: « Cidaris, inquit, pro diademate imponitur capiti, quia quantisper sacerdos honore suo fungitur et ministerio, non solum privatis hominibus est eminentior, verum etiam cunctis regibus; » et S. Chrysostomus homil. 4 de verbis Isaia, *Vidi Dominum*: « Regi, inquit, corpora commissa sunt, sacerdoti animæ. Rex maculas corporum remittit, sacerdos autem maculas peccatorum. Ille cogit, hic exhortatur; ille necessitate, hic consilio; ille habet arma sensibilia, hic arma spiritalia; ille bellum gerit cum barbaris, huic bellum est adversus dæmones; major hic principatus, propterea rex caput submittit manui sacerdotis, et ubique in veteri Scriptura sacerdotes ungebant reges. » Quocirca ignis a Deo immisus in Nadab et Abiu sacerdotes, eo quod ignem alienum obtulissent, eos quidem afflavit et exanimavit; vestes autem eorum, utpote sacerdotales, tangere non est ausus, ut hoc miraculo sanciret dignitatem sacerdotii, *Levit. x.*

32. IN OMNI VIRTUTE TUA DILIGE EUM QUI TE FECIT. — Pro virtute græce est *δυναμις*, id est potentia, possibilitate; Vatablus, *omni vi, et, id est ideo*, ut scilicet ostendas te Deum diligere ex tota virtute et vi tua, *sacerdotes illius sanctifica*; Syrus: *In toto corde tuo honora Creatorem tuum.* Citat Deuter. cap. VI, 5, juxta Septuaginta: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota fortitudine tua*; ubi pro fortitudine, Hebraice est *ex toto valde tuo*; Septuaginta, *ex tota virtute tua*; quod S. Lucas, cap. x, 27, vertit, *ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua*; Vatablus, *pro omni virili tuo*, id est, ex omni tua facultate et possibilitate, ex omni tuo valore et vigore, validissime et valentissime, ac si fieri posset, *nimis* (hoc enim significat hebr. *נִסְחָ meod*), dilige Deum, juxta illud *Psalm. cxviii*: « Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. » S. Bernardus, serm. 29 in *Cant.*: « Non abduci, ait, blanditiis, nec seduci fallaciis, nec injuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est. » Ratio est, quia Deus est omne bonum, imo oceanus immensus honorum omnium; ergo omnibus viribus appetendus et diligendus.

Quid hic præcipiatur, et quibus de causis, fuse docui *Deuter. vi, 5*. Quibus adde Richardum de S. Victore, tract. *De Gradibus charitatis*, septem dilectionis Dei gradus assignare: « *Primus est*, inquit, ut amor sit inseparabilis, ut anima cum Apostolo dicere possit: Quis me separabit a charitate Christi? *secundus*, quod sit insatiabilis: ignis enim nunquam dicit: Sufficit; nihilque sibi egisse unquam videntur, et servos se dicunt inutiles, qui eo sunt succensi; *tertius*, quod sit invictus. Fortis enim ut mors dilectio, et aquæ multæ non potuerunt extinguere charitatem; *quartus*, quod sit delectabilis, dicereque anima possit amore isto succensa: Introduxit me rex in cellaria sua, memor fui Dei, et delectatus sum; *quintus*, quod vulneret animam ardentibus desideriis et plurimis, quibus optat ut omnes ei serviant, et omnes trahere ad eum conatur; *sextus*, quod semper Deum sitiat, semper eum præsentem habeat, omnis ei creatura memoriam illius revocet; *septimus*, quod desideret conjungi et esse cum Christo, non tædio vitæ, sed charitate impulsus, quisquis ea fuerit inflammatus. » Exclamemus ergo identidem cum Psalte *Psal. xvii, 1*: « Diligam te, Domine, fortitudo mea; Dominus firmamentum meum et refugium meum, et liberator meus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, et humilia respicit in cælo et in terra? Quid mihi est in cælo, et tibi quid volui super terram? Benedic, anima mea, Domino, et omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto ejus. Exaltare super cælos, Deus, et super omnem terram gloria tua. »

Rursum virtus, ait Aristoteles lib. I *De Colo.* textu 1, cap. XVI, ac ex eo noster Alvarez de Paz, lib. III *De Vita spirit.*, part II, cap. XXI, « est illud

summum ac præstantissimum, ad quod vis aut potentia alicujus valet pertingere. Nam si quis possit centum talenta portare, vis ejus est ad portandum quinquaginta aut octoginta, virtus vero ad portandum centum; et si possit ambulare et permittit currere, vis est ad ambulandum, et virtus ad velocissime currendum. « Hanc autem esse hujus nominis notionem confirmat nomen vir, a quo (teste Cicerone *Tuscul. II*) dicta est. » Vir enim (ut ait Lactantius lib. *De Opificio Dei*, cap. XII) nominatus est, quod in eo major vis est quam in femina, et hinc virtus nomen accepit. A qua etiam significatione sacræ paginæ non abhorrent, hoc nomen pro robore, potestate et fortitudine non semel usurpantes: Domine, Domine, virtus salutis meæ (inquit David *Psalm. cxxxix*), obumbrasti caput meum in die belli; » et *Psalm. xvii*: « Deus, qui præcinxit me virtute, et posuit immaculatam viam meam; » et rursus *Psalm. xxxii*: « Præcinxisti me virtute ad bellum, et supplantasti insurgentes in me subter me. » Hinc astra virtutes appellantur, quod eorum motu et influxu Deus inferiora gubernet, et magna ac mirabilia perficiat. Verbo quippe Domini cæli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Hinc etiam virtutes, tum morales, tum intellectuales, tum Theologicæ, hoc nomen acceperunt, quod potentias aut vires nostras operibus bonis et malis expositas, ad opus optimum inclinent, et ad præstantissimas functiones disponant. Est ergo virtus, si ejus primævam notionem attendamus, nisus et conatus et impetus rei, totum quod potest facientis, et ad summum ac sibi præstantissimum anhelantis. Quare tunc Deum ex omni virtute diligimus, cum voluntatem excitamus ut omni conatu Deum diligat, et vires alias seu potentias erigimus, ut non segniter, non oscitanter, sed strenue ac diligenter in Dei obsequium ac voluntatem intendant. »

Unde S. Thomas, *Opusc. 61*, cap. XXIII, hunc sensum exprimens sic ait: « Diligis Dominum, non tantum ex vi, sed etiam ex virtute, cum diligendo et laborando experiris summum potentiam; quod si in hoc summo et ultimo termino actum dilectionis semper continuas, tunc non tantum ex virtute, sed etiam ex tota virtute diliges. Sed quia in vita mortali non est possibile ut quis in omnibus bonis actibus suis summum conatum adhibeat, considerandum est quomodo hæc sententia vitæ justorum peregrinantium accommodetur, ut possint eam utcumque servare, et Deum ex tota virtute diligere. Illi sane dicuntur ex virtute diligere, qui Dei sunt diligentes amatores, qui Deum fervide amant, et qui gnaviter et strenue omnem (quantum possunt) defectum et imperfectionem cavent, et virtutis opera ad suum statum et munus pertinentia seditate, sollicitate et diligenter exercent. Quidam enim (ut Bernardus, serm. 3 *De Pentecoste*, optime annotavit) accipiunt Spiritum Sanctum, spiritum charitatis ad salu-

tem; quidam vero accipiunt ad fervorem. Illi accipiunt ad salutem, qui in toto corde suo revertuntur ad Dominum Deum suum, qui omni crimini valedicunt, et spiritu contritionis emundati gratiam et charitatem accipiunt. Illi accipiunt ad fervorem, cum in cordibus perfectorum (ut verbis sanctissimi Patris utar) vehementius spirans, validum ignem charitatis accendit, ut non solum in spe filiorum Dei, sed etiam in tribulationibus gloriantur, contumeliam gloriam reputantes, opprobrium gaudium, despectionem exaltationem. » Nam, ut ait S. Chrysostomus, serm. 6 *De Passione Domini*: « Adversis probatur amor, affectio persatur periculis, pœnis examinatur dilectio, morte perfecta charitas innuitur. Jure itaque Bernardus supremum amoris gradum, quem cælesti patriæ reservat, cum, videlicet, homo se pure diligit propter Deum, et seipsum quodam modo perdit, tanquam non sit, et omnino semetipsum non sentit, et a semetipso exinanitur et annullatur, solis Martyribus in hac vita audet certa ratione concedere. Putamusne (inquit) hanc gratiam, vel ex parte sanctos Martyres assecutos, in illis adhuc victorios corporibus constitutos? Magna vis prorsus amoris illas animas introrsus rapuerat, quæ ita sua corpora feris exponere, et tormenta contemnere valuerunt. »

Porro S. Thomas, *opusc. 61 De Dilect. Dei*, cap. XXIII, paulo subtilius distinguit virtutem a fortitudine: « Quod virtus sit summus conatus virium nostrarum ad agendum, fortitudo vero summus conatus ad sustinendum. » Cui consentit S. Augustinus, lib. I *De Moribus Eccles.* cap. XXII: « Amor, inquit, quem tota sanctitate inflammatum esse oportet in Deum, in non appetendis isis temperans, in amittendis fortis vocatur. » Et infra: « Nihil est tam durum atque ferreum, quod non amoris igne vincatur. Quo cum se anima rapit in Deum, super omnem carnificinam libera et admiranda volitabit pennis pulcherrimis et integerrimis, quibus ad Dei complexum amor castus innititur. » Et lib. I *De Morib. Manich.* cap. XV, dicit, « fortitudinem esse amorem omnia propter Deum facile perferentem. Quare diligere ex omni virtute, est ita Deum amare, ut quis nec tentationibus cedat, nec in tribulationibus et minis, sive a dæmone, sive ab hominibus intentatis succumbat; sicut accidit Davidi, uxorem alienam contra jus et fas accipienti, Petro negantibus discipulis fugientibus; et accidit multis aliis, qui ad tempus fide viva credunt, et in tempore tentationis recedunt. Hujus amoris ex omni fortitudine meminit Paulus, quando sui amoris robur et firmitatem edixit: Quis, ait, nos separabit a charitate Christi? tribulatio, an angustia, an fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? et statim: Certus sum quia neque mors, neque vita, » etc. *Rom. III*. Talem amorem habebat Sponsa dicens *Cantic. VIII*: « Fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio. »